



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XXIV. De appellatione tamquam ab abusu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

tentiæ conformes latae sint. Quod nostri canonum interpretes ex jure civili² hausisse videntur. Si appellans appellationem introducere, si appellatum citare negligit, post terminum appellationis introducendæ, desertionis inculari; ante terminum autem appellationem, accelerandi causa, introducere potest. Appellanti appellationi expresse vel tacite renuntiare licet, si sententiæ obsequitur, Sed si appellatio introducta est, recedere nequit, nisi per acquiescentiam, de qua iudex pronuntiat, quæve multam involvit.

1) *Ord. 1439.* 2) *l. 1. C. ne tertio appell.*

C A P. X X I V.
D E A P P E L L A T I O N E T A M -
Q U A M A B A B U S U .

I.

Appella-
tionum
qualifica-
tarum
species,

DUO sunt appellationum genera, appellatio *simplex*, & *qualificata*, veluti appellatio a iudice incompetente, a denegatis apostolis, a denegata iustitia, ab abusu. In Francia sola appellatio simplex propria penitus est iudicis ecclesiastici, quippe quem solum pronuntiare posse volunt, num in prima instantia recte an secus causa decisa sit. Qualificatæ autem appellationes contra iudices instituuntur, & quidem regis, tamquam canonum protectoris & iustitiæ parentis, nomine & auctoritate.

precipua
tamquam
ab abusu.

II. APPELLATIO tamquam ab abusu est querela de iudice ecclesiastico, tamquam

potestatis suæ limites transgresso, vel aliquid contra jurisdictionem sæcularem, aut generatim adversus libertates ecclesiæ Gallicanæ auso. Hæc adpellatio quum reciproca esse debeat, eadem utilis foret adversus judices sæculares, licet hoc rarissime fieri soleat¹. Hujus processus, qui Franciæ proprius est, vestigia sæculo XIV. ineunte in Durandi, Mimatensis episcopi, querelis de sæcularibus judicibus²; extantiora autem sæculo XV. medio offendimus³. Tum enim hoc adpellationum genus invaluit ad reprimenda ea, quæ contra *pragmaticam*, posteaque contra *concordatum* audent ecclesiastici. Principio hæc adpellatio semper adpellabatur *adpellatio tamquam ab abusu notorio*. Conveniunt enim omnes, abusum supponi notorium, & hoc remedium esse extraordinarium, non nisi urgente necessitate & reipublicæ bono adhibendum: unde regii procuratoris in hac re primæ partes sunt. In praxi tamen ab his regulis declinant, sæpenumero in causis levioribus, cleri querelis & regio jussu posthabitis, hujus generis adpellationes interponentes.


- 1) MARCADE *Concord.* l. 4. c. 19. FEVRET, l. 1. c. 1. 2. 3. 3) *de modo gener. conc.* tit. 70. p. 217.
- 3) *Preuves des lib. Gall.* l. 7. n. 27.

III. MELIUS regulæ frequentes observantur. Hæc adpellatio introducenda est^{ejus praxi.} in curia suprema, plerumque in senatu. Unde, si una diocesis ad duo parlamenta porrigitur, episcopus in utroque senatu officialem alit, ut de adpellationibus tamquam ab abusu quilibet senatus in sua jurisdictione cognoscere

possit. Introduci potest etiam in consilium sanctius, & in consilium principis secretius ab iis, qui ex eo pendent in causarum suarum dijudicatione. Locum autem habet in toto regno, ne quidem terris *obedientia* exceptis. Abusus nullo temporis lapsu præscribitur, si fundatur in incompetencia iudicis ecclesiastici. Appellari ab abusu potest etiam post tres sententias conformes, quia causa ex ordine jurisdictionis ecclesiasticæ eximitur, licet non in totum, sed in tantum. Nam licet totus senatus sit corpus laicum; inter ienatores tamen plures necessario sunt clerici, qui canonum doctrina imbuti & disciplinæ ecclesiasticæ amantes præsumuntur. Formula hæc est, ut appelletur a decreto iudicis & cunctis ejus consequentiis.

appellari
quoque
potest a
decreto
pontificis
tamquam
ab abusu.

IV. SED si de bulla vel rescripto pontificis lis est, reverentiæ causa non a rescripti concessione, sed ejus executione appellandum, ut pars adversa magis, & quæ in iudicio facta sunt, quam pontificis oraculum, impugnari videatur. Quamvis autem appellatio tamquam ab abusu Franciæ propria sit; ceteræ tamen respublicæ interdum media huic æquipollentia adversus attentata pontificis adhibuerunt. Veneti his acerrime resistunt; Hispani sæpe bullas supprimunt; Germani concordata sua violari non patiuntur. Habet enim unaquæque respublica consuetudines, libertates & privilegia singularia.



C A P. XXV.
DE LIBERTATIBUS ECCLESIAE
GALLICANAE.

I.

S ED omnium gentium christianarum Fran- Unde
 ci, veteris libertatis ecclesiasticæ tenacif- Francis
 mi custodes & propugnatores, innovationibus, plures
 a canonum doctoribus transalpinis, præsertim quam
 inde a schismate Avenionensi introductis, acer- aliis, li-
 rime resisterunt. Liberalium artium studium bertates.
 a Caroli M. temporibus per nongentos & quod
 excurrit annos perpetuo in Francia conserva-
 tum; cana monarchiæ antiquitas; regum no-
 strorum, qui omnes fuere Catholici, pietas
 & cum annis aucta potentia, majus nobis ad
 tuendam libertatem subsidium, quam ceteris
 nationibus, quæ his prærogativis gloriari ne-
 queunt, attulere.

II. OMNES autem libertates nostræ harum
 his duobus veluti cardinibus vertuntur: I. quod duo veluti
 potestatem a Christo ecclesiæ concessam mere cardines;
 spirituales, nec ullo modo directo sive per
 obliquum ad res hujus sæculi trahendam con-
 stat. II quod plenitudo potestatis, quæ penes
 pontificem tamquam caput ecclesiæ est, est
 præscripto canonum ab universa ecclesia re-
 ceptorum exercenda, ipseque pontifex judicio
 concilii universalis, in casibus a concilio Con-
 stantiensi¹ expressis, obnoxius est. Has pro-
 positiones clerus Francicus Parisiis an. 1682,
 congregatus solemniter agnovit, tamquam